

_Lettera_N_2214

All'arcivescovo di Buenos Aires León Federico Aneiros

Excellentia Reverend. ma,

*Datum Taurini, die 15 novembris 1875

Religiosi viri Salesiani, de quibus pluries sermo factus est, Italiae littora deserunt Argentinam Rempublicam petiuri. Licet omnes toto animo parati sint vineam Domini pro viribus excolere vel in pueris edocendis, vel in ministerio sacro exercendo, tamen bonitatem tuam summopere in Domino deprecor ut eos veluti patiens pater accipias, eis consilia prudentiae eroges, eos denique adiuves, ac corrigas quotiescumque ad majorem Dei gloriam id conferre posse judicaveris. Usque modo fuerint filii mei, in posterum vero erunt filii tui, et quidquid pro illis facturus es, pro me factum habeto. In chartula hic separatim eorum nomina, gradus, dignitates adnotata habebis, quae ad vitam tum civilem, tum ecclesiasticam respiciunt. Caetera pietas tua perficiet.

Una cum filiis meis in Christo carissimis adest benevolentissimus commendatarius Joannes Gazzolo Consul Argentinus, qui tot nobis beneficia detulit, quae rerum nostrarum rite consciens nomine meo plurima tibi referet atque patefaciet.

Deus bonus, Deus clemens omnia fausta faciat tibi, atque diutissime te sospitem servet, dum humillime obtestor ut orationibus et sacrificio tuo matutino me, atque adolescentulos meos commendes. Vale.

Joannes Bosco Sacerdos

Salesianae Cong. Sup. Gen. Taurini die 14 novembris 1875

Nomina, qualitates Salesianorum qui ad archidiecesim Boni Aëris se conferunt.

Sac. Cagliero Joannes sacrae Theologiae Doctor, moralium Collationum

Praefectus, atque omnibus facultatibus regulariter praeditus quae ad actus tum civiles, tum Ecclesiasticos spectant.

Sac. Fagnano Josephus politiorum Litterarum Doctor. Hoc est Regulariter approbatus ad edocendas Litteras Graecas, Latinas, Italicas, Historiam, Geographiam, et alia quae ad humaniorum scientiam referuntur. Ipse adsignatus est

Director futuri Collegii S. Nicolai. Sac. Tomatis Dominicus, politiorum Litterarum Doctor ut supra.

Sac. Baccino Joannes Baptista Methodi Superioris Professor.

Sac. Cassinis Valentinus Methodi Professor.

D. Allavena Joannes Baptista Ludi Magister.

Molinari Bartholomaeus Ludi Magister, atque musicae instrumentalis et vocalis Praeceptor.

Scavini Bartholomaeus Magister Faber Lignarius.

Gioia Vincentius sarcinatoris atque sutoris artis Magister.

Belmonte Stephanus Ludi Magister et rei domesticae dispensator.

Omnes insuper musicam sacram agnoscunt, necnon in pueris scientiis ac Catechesi erudiendis operam dederunt.

Joannes Bosco Sacerdos Sup. Gen.